





1911  
3a

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA;  
DE  
**JURE ET ERRO-  
RIBUS CIRCA  
DIVORTIA**

*Quam,*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENBUR-  
GICO, DUCAT. MAGDEB. GUBERNATORE,  
RELIQVA,

AUCTORITATE atq; CONSENSU INCLYTÆ FACULT. JURIDICÆ  
PRÆSIDE

**DN. HENRICO BODINO, JCto**  
POTENTISS. REGIS BORUSS. CONSIL. IN DUCATU  
MAGDEB. GRAVISSIMO, PROFESS. JURIS ORDIN. CELEB.  
ET FACULT. JURID. h. t. DECANO

PATRONO SUO COLENDO

**PRO LICENTIA,**

Summos in JURE HONORES & Privilegia consequendi,

*Ad d. Octobr. MDCCXI, boris ante & pomeridianis*

IN AUDITORIO MAJORI

Publicæ Eruditorum disquisitioni submitteret

**JOHANNES GEORGIUS Bremi**

Altenb. Misn.

HALÆ MAGDEB. Typis CHR. HENCKELII, Acad. Typ.



V I R O  
PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLEN-  
TISSIMO atq; CONSULTISSIMO

D N . L . AUGUSTO  
HEINRICO *Stern*/

Hæreditario in Lehnisch/  
Jcto FAMIGERA TISSIMO  
SERENISSIMI SAXO - GOTHANI  
PRINCIPIS CONSILIARIO, AERARIQUE  
ALTBURGENSIS ASSESSORI  
GRAVISSIMO  
*Patrono suo summis honoribus ætatem  
colendo*

Specimen hoc inaugurale  
in devinctissimæ gratissimæque mentis qualecunque  
testimonium

*paratissima ad obsequitum officiumque manu*

Offert A U T O R

JOH. GEORG. *Brem.* Altenb.



I. N. D. N. I. C.



X matrimonio legitime contracto  
ac consummato oriri individuam  
vitæ consuetudinem & insepara-  
bile vinculum, ex legibus huma-  
nis pariter ac divinis in confessio  
est. pr. Inst. d. Nupt. Ewang. Matth.  
IX. v. 16. in quo dicto Christilocutio  
illa: QVOS DEUS CONJUNXIT, quos nam Deus  
dicatur con-  
junxisse.

non restringenda ad illos, qui in pietate juxta voluntatem  
Deicoierunt, sic enim inter impios & infideles nullum  
effet conjugii vinculum, sed verbis hisce præsens natura-  
lis status, quem Ethnici fato adscribant, Deo propter  
hujus ordinationem tribuitur. Quemadmodum o-  
rnes Magistratus, licet impii, & illo tempore plerum-  
que infideles à Deo esse, ab Apostolo Paulo prædicantur.  
*Ep. ad Rom. C. XIII. v. 1. & omne adversum fatum Deo ad-  
scribitur: Amos. c. 3. v. 6.* Ut itaque sensus sit, quod illi, qui  
Deo non expresse prohibente se invicem juxta ordinem  
naturæ in Virum & uxorem tradiderunt & ita divino fa-  
to in unam carnem coaluerunt, ab homine separari non  
debeant.

Quod in tantum verum est, ut nec illi, qui con-  
tra prohibitionem juris humani quounque naturali  
modo matrimonium inierunt, & semel conjuges vel una

A 2

facti

facti sunt, separari non debeant, nec possint, quamvis ci-  
viles effectus tali naturali conjugio, contra LL. præscri-  
pta inito, denegari soleant, quo pertinet §. 10. D. Nupt. cum  
simili vide Dn. Præfid. *Dissert. de interdicta Libertate ma-*  
*trimonium ineundi.*

*Divortia ta.  
men concessa.*

*Scopus Diff.*

Nihilominus tamen varias divertiorum species &  
antiquis & recentioribus legibus ac moribus concessas,  
neque in totum improbandas esse, experientia atque ra-  
tio evincit. Gravissimis autem erroribus contra antea  
adductam universalem divinam ordinationem in forum  
irreptis, operæ pretium duxi, materiam hanc loco inaugu-  
ralis dissertationis ex genuinis fontibus breviter dilu-  
cidare, measque meditationes hisce pagellis includere;  
illas B. L. vel ad consensum, vel ad amicam commissi  
erroris remonstrationem, non vero ad aculeatam Cen-  
furam, demeliori commendans.

### Theſ. I.

*Quid sit di-  
vortium?*

*Quomodo  
differat a re-  
pudio.*

**M**issa autem Etymologica vocabuli Divortii enu-  
cleatione, utpote ad forum Juridicum, dummo-  
do de re ipsa constet, parum utili, existimo Dd.  
in eo convenire, quod Divortium significet, obligationis  
conjugalis relaxationem seu sublationem, differensa re-  
pudio ut species a suo genere, ita quidem, ut divortium  
tantum de illa, quæ haec tenus vera Uxor fuit, repudium  
vero quemadmodum de uxore, ita quoque de concubi-  
na & sponsa prædicetur, vid. l. 2. & seqq. ff. de Divortiū junc. b.  
l. 8. pr. C. de Repud. l. 191. ff. d. Verb. s. Repudium quoque  
sponsæ vel concubinæ, (quæ hodie uxor secundaria seu ad  
Morganaticam vocatur) sine certa solennitate, quamvis  
absq. justa causa non impune, verum divortium autem  
seu repudium inter legitimas Conjuges non nisi publico  
ju-

( 5 )

jure, ut omnibus constet & cum adprobatione populi, quæ septem testium præsentia indigitatur ex L. Julia & Papia fieri potest v. l. 9. cum seqq. de Divort. Cum ergo hic juxta Dissertationis hujus rubricam de Jure circa Divortia agendum sit, ex professio quidem de dissolutio- ne conjugum agendum, ubi concubinatum, utpote naturale Conjugium involuentem, & jure non improbatum, sub matrimonii naturali vinculo & divortiorum jure includimus, incidenter tamen quædam de desponsato- rum liberatione monenda erunt.

Th. II.

Licet autem tam jus Divinum quam Romanæ Leges unius tantum divortii conceptus, ad vinculi conjugalis dissolutionem tendentis, mentionem faciant, vid. guntur. Carpz. Jurispr. Conf. Lib. 2. tit. 12. Def. 200. Sichard. ad l. 11. C. d. Nupt. Vinn. Partit. Jur. lib. 2. c. 21. Kitzel. d. Matrim. C. 10. tb. 4. Pontificio tamen jure ex præsupposito sacramentali matrimonii nexus inventa & a nostris male applicata est distinctio inter totale divortium & illud quod quoad Thorū & mensam dicitur. Quippe dum ex principiis papalibus Sacramenti Conjugii, spiritualis ex in de derivatus nexus, nullo modo, & nequidē per adulterium Uxoris solvi creditur. vid. Sanchez de Sacram. Matrim. l. 10. Disp. 13. & 15. & Disp. 9. n. 50. Disp. 10. n. 3. & 24. Barbos. in P. 2. rubr. ff. solut. Matrim. n. 22. & 25. Covarr. d. matrim. P. 2. C. 7. §. 6. n. 9. & 10. Parti innocentis quidem conceditur fœdi fragam partem, autoritate tamen Ecclesiæ, ex domo & thoro expellere, vinculo tamen sacramentali seu spirituali ad extremum vitae durante ad hoc, ut in eandem communionem carnis, superveniente novo sacramento aliam personam in matrimonium aslumere nequeat; ut sic divortium propter Adulterium a Christo concessum, Matth. XIX. v. 9. jus qui-



dem tribuat, uxorem adulteram ex thoro dimittendi, non vero aliam ducendi, unde divortium ita concessum tantum quoad thorum & mensam obtinere dicitur, vinculo sacramentali seu spirituali semper durante. Et hoc divortium Canonistæ in perpetuum & temporale distinguunt, illud ab Adulterio, infidelitatem & perfidiam hæresin, hoc ob sævitiam mariti, vel propter conatum seductionis ad grande flagitium concedentes. Sanch. *dict.*  
*Dissert. 15. n. 29. & Diff. 16. n. 4. Barb. d. l. n. 19. & seqq.* Cum vero repurgato fermento Papali inter Evangelicos hodie in confessio sit, matrimonium formale sacramentum non esse, nec exinde derivatum spirituale vinculum contine re, licet torte ob magnam præfigurationem unionis Christi cum fidelibus in Apologia Confessionis Augustanae art. 7. d. num. *sacram.* adhuc nomen sacramenti obtineat, & tota essentia matrimonii in potestate marito in carnem uxoris ad unionem corporum concessa, mutuo que adjutorio consistat, quod communione thori & mensæ innuitur; hâc prorsus sublata, nullum rationabile fundamentum, vel mente concipi potest, quid inter partes ab hac obligatione liberatas porro vinculi remaneat, nisi effectum cum causa absurdo conatu confundere quis velit. Tales vero absurdæ opiniones in jus nostrum irrepserunt, introducto exscribendi pruritu, & DD. autoritate: plerisque sibi placentibus, si hypotheses ex aliorum scriniis haustas, magna farragine allegatorum stabilire didicerint, genuinis fundamentis defituti: Unde cum inter antiquas non potuerunt non in scripta JCtorum Romanae Ecclesiæ addicitorum incidere, in multis partibus Jurisprudentiæ JCTi Evangelici, easdem cum veteribus opiniones securti, nec in Prudenti Theologia satis versati, sæpius dogmata cum principiis propriæ religionis vel plane pugnantia, vel minimum non satis &

& æque ut cum papali religione convenientia foveant,  
quam Papistizantem Jurisprudentiam JCtorum protestantium in singularis juris partibus demonstrare aliquando operaæ pretium foret.

## Th. III.

Evidem quoad præsentem materiam negari ne- Separatio <sup>ta.</sup>  
quit, quod morosæ mulieris vel duri mariti infraenati men ad breve  
mores interdum ansam separationis ad aliquod tempus tempus inter-  
præbere possint, quod & inter illustres Romanos conti- dum conce-  
gisse testis est Ulpianus in l. 37. §. 13. ff. de Donat. inter vir.  
¶ ux. attamen hoc non aliter quam ex utriusque partis Consensu juste fieri potest, neutrâ potestate corporis alteri competente denegare valente. juxta illud Paulinum 1. Ep. ad Cor. c. 7. v. 4. & 10. unde maritus recte agit ad uxorem contra voluntatem suam divertentem exhibendam, l. 2. ff. d. exhib. liber. neque pactio, qua ex secessione Uxoris facta maritus dotem lucrari velit, admittenda. l. 27. ff. d. Pact. Dotat. Judicis enim autoritate inter- Non tamen  
veniente, quæ ad certum tempus fit thori & mensæ se- per modum  
paratio, Romanis ac prudentibus legislatoribus in co- sententia,  
gnita fuit, nec ejus illum ex Jure Civili vestigium adduci poterit. vid. BROVER. d. Jure Connub. c. 29. §. 2. illa vero voluntaria conjugum separatio convenientiori vocabulo secessionis factæ, non divorci, indicata fuit. Cum tamen ob recentem mariti iram ejusque sævitiam, uxoris auxilium denegari non debeat; parentes quidem illarum si ad has confugerint, illas invitatas marito exhibere non tenentur, nisi causa cognita l. 11. C. d. nupt. & sufficiente securitate uxori præstata, quod deficientibus aliis Remedia con-  
remediis duriori Carcere vel opere publico obtainendum tra conjugum  
juxta Const. Crim. Car. V. a. 176. non tamen sub prætextu sævitiarum mariti, uxori permittendum, ut privata autoritate, contra mariti voluntatem alibi diutius commorari

rari & pernoctare velit, dum ita fœle adulterii suspectam faciat & marito causam divorpii præbere possit l. 8. C. d. repud. & divert. sed iis vel ex mariti consensu vel ex judicis autoritate in locum minus suspectum secedendum, donec de autore & causa rixarum ac imputata fœvitia mariti cognosci, & utraque pars officii sui admoneri & ad ejus observationem convenientibus remedii compelli possit. Ut sic nullo prorsus casu divorpium quoad thorum & mensam nisi ex libero partium Consensu ad exiguum tempus locum inveniat, quod Ulpianus in l. 32. §. 12. fribusculum vocat, seu friguscum, quasi exiguum amoris frigus, novo tamen & alias nusquam reperto vocabulo, juxta Alciat. ad l. 191. de V. S. vide plura in Dissert. Petri Mulleri & beati Parentis mei de Friguscule. Magistratus ergo, qui ob fœvitiam mariti, vel ob uxoris vitia & ad maledicta proclivitatem vel utriusque obstinatum animum, separationem quoad Thorum & mensam decernit, se ipsum denegatae justitiae inculpat, quod malos convenientibus remedii non coerceat, seq; peccatorum ex denegato thori usu orientium participem & causam moralem reddit; ut taceam, hasce separationes contra alterutram partem invitam difficiles ut plurimum fortiri exitus, de quo non frustraneum erit exemplum adducere; Unica senis Viduæ filia, mediocris conditionis civicæ, aliquantulum tamen dives, cum marre proprias aedes inhabitans, Doctorissæ titulo illæcta, Neo-Doctori Medicinæ, opibus ac ægrotantium fiduciâ & sic omnibus aliis mediis vivendi destituto, nisi quod ex collatis in uxorem honoribus expectabat, matrimonio juncta, maritum inopem despicere, imo eidem praetensam lautiorem sustentationem denegare incipiens, aliquoties plagis & verberibus excepta causam judicio ecclesiastico detulerat, ubi post interpositas diversas admoni-

monitiones de benignius tractanda uxore, tandem solenni sententia separationem quoad thorum & mensam, insuper ut maritus ex aedibus Uxoris migrare debat, obtinuerat, quo facto, dum Maritus omnibus vivendi mediis exutus, ex consilio amicorum, ad obtinendam reconciliationem, uxorem adierat, hæc vero tandem mariti praesentiam admittere nolens auxilium magistratus iterum imploraverat, --- tale monitorium accipiebat: daß weli er von seiner Frau von Lisch und Bette rechtkräfftig geschieden wäre / er sich also bey Vermeidung persönlichen Angriffs ihrer Wohnung enthalten sollte: unde ille maritus incitatus fuit alibi sustentationem suam querere, constituto ita alio domicilio, & frustra exigens uxorem ipsum sequi debere, coquinariam alit, & uxor in pristino loco alias admittere amplexus incipit, & tandem contra maritum desertonis processum instituit, qui citatione in notitiam delata se declarabat ad uxorem recipiendam, contra quod illa rei judicatae inhærebat donec in delirium delapsa non sine divino fato occubuit. Ex quo causa separationis quoad thorum & mensam per modum sententiæ à magistratu decretæ, ejus ambigui, implicati & funesti satis relucent effectus. Potius ergo uxores admonendæ, & quovis modo adigendæ, ut maritos licet duriores, tanquam dominos suos & patrum loco æquo ferant anirno, ne maritali obsequio & honore neglecto, pax perversa inter conjuges oriatur; inquit Augustin. in Psalm. 141. non tamen permittendum ut sub maritali imperio, (quod magis in amore se se exserere debet Epist. ad Ephes. c. 5. v. 25. & 28.) uxores servilibus plagiis afficiantur, quamvis modica castigatione in plane refractariam uxorem aliquo modo inter

rudem plebem sit toleranda. arg. l. 5. §. fin. ad L. Aquil. dummodo de malitia mulieris satis constituerit, quo aliquo modo excusari potest jus Verberandi uxores maritis tribuens Carpz. in *Jurispr. Confit.* def. 212. cum alias ut plurimum delicta uxorum, ex maritorum culpa oriri soleant. vid. Guaz. de Civil. Convers. Diff. 5. & ex eo. Petr. Mull. & B. Par. Mei *Dissert. d. Frigusc.* c. 3. tb. 1. & seqq. unde ordinarie severis poenis impediendum, ne mariti uxores suas, verberibus excipiant; præsertim cum ictus non cadant ad mensuram, & interdum funestos produxerint eventus. vid. elegantissima ad hanc rem allegata apud Brouer. de *J. Conn.* l. 29. n. 11.

Th. V,

*Amicabile di-  
vortium non  
permittent-  
rum,*

De cœtero notandum quod licet supra de amicabili separatione apud Romanos usitata, mentio facta sit, illam tamen hodie inter Christianos præsertim ad longius tempus non facile esse admittendam, vid. 1. ad *Cor.* 7. v. 5. ne sc. ansam peccandi præbeat. Potius cum matrimonii essentia naturaliter requirere videatur, ut fœmina constituatur quasi sub oculis & custodia maris. H. Grot. c. 1. B. & P. lib. 2. c. 5. §. 8. & conjugum consociatio, indissolubilem vitæ consuetudinem contineat, *pr. ins. d. nupt.* Ideo tales voluntarios Spadones, ordinarius Magistratus ad cohabitationem cogere debet, ne alii scandalo sint. vid. Brouer *d. Jure* c. 29. n. 5. & 7. cum allegat. Ubi adducit Statutum Amstelodam. quo huic flagitio centum florenorum multæ in singulos menses quibus separatio durat, indicata est; qui autem tantundem non habet in ære, luat in corpore. Sic Ebrei interdixerunt maritis, sine uxoribus domicilium habere, & vicissim uxoribus sine maritis habitare. Selden. de *J. Nat.* & Gent. lib. 5. c. 2.

Th. VI.

Notanter tamen supra diximus *non facile* talem separationem admittendam , cum & hæc decisio quemadmodum omnis regula juris l. 202. ff. de Reg. I. suas patiatur limitationes. Sic si insimulatum uxori adulterium satis probari nequeat, violenta tamen ejusdem ad-  
fit suscipio, non statim marito secundæ nuptiæ sunt con- *Casus exce-*  
cedenda, quamdiu uxor externos limites officii sui non *pi.*  
excessit, sed loco ejus partes ad thori & mensæ separatio-  
nem admonendæ sunt. vid. Menoch. lib. 5. praf. 4.  
Sanch. d. matrim. lib. 10. disp. 12. n. 40. & seqq. & Disp. 13. n.  
4. Kitzel. d. marrit. c. 10. theor. 19. tit. H. I. scil. ut inculpata  
conjux continentia & intermerata vitæ testimonio pristi-  
na indicia purgare vel etiam pravorum morum emen-  
tationem probare ac conjugi aliquando reconciliari pos-  
sit; interim in favorem liberorum, durante qualicun-  
que honore matrimonii, ne pars prætense læsa, velle vi-  
deatur divortium, ut eo liberitus in alios quoque rueret  
amplexus: Eodem modo separatio thori & mensæ ad-  
mittenda, si pars una sōntico ac contagioso morbo, e. gr.  
lue venerea laboret, Kitzel d. tr. b. 7. Zachias, quæst. Med.  
leg. lib. 3. qu. 6. n. 4. Arnis. d. Connub. c. 6. Sec. 9. n. 7. vel a-  
trioris Criminis suspecta sit, quamdiu sc. pericu-  
lum contagii vel hoc ultimo casu processus durat, hoc e-  
nim finito, pœna capitali interveniente superstitem par-  
tem a conjugii nexu liberatam esse nemo ambigit; Si ve-  
ro absolutione ab instantia quidem interveniente, de ple-  
naria tamen innocentia non confert, sed innocentii con-  
jugi imputati alteri gravioris criminis dubia inhærent  
veluti Veneficii, ignoscendum eidem erit, si in spontaneo  
cœlibatu thori & mensæ separatione sibi consulat, ne ma-  
jori periculo vel infantriæ exponatur. Ita ut ad cohabi-  
tatio-

tationem cogi non possit; non autem ut separatio officio judicis fiat. Reliqua disputatio, de admittenda separatione a criminoso coniuge, capit is non damnato & praesente, vel otiosa est, vel casum non dabilem respicit, cum separationem altera parte invita, non agnoscamus quomodo vero in casu fugae vel relegationis vernm divortium locum inveniat, suo loco videbimus. De cœberesis vel in-tero non concedendum ut sub prætextu pietatis, vel alle-fidelitatis, e-paratio non habet locum.

*Sub prætextu cœberesis vel in-tero non concedendum ut sub prætextu pietatis, vel alle-fidelitatis, e-paratio non habet locum.*

De quo serio dehor-tatur Apostolus. *ad Cor. c. 7. v. 5.* quod & inter infideles matrimonio junctos, postquam alteruter Christianam fidem amplexus est locum habere non dubito, ex eo-dem loco Pauli *v. 12.* nisi alterius malitiosa desertione vel coactione ad impia accedente, tunc enim non tem-pe-rariam separationem tantum, uti existimare videtur Brover. *d. t. n. 10.* sed totale divortium concedendum infra demonstrandum, in aliis autem conjugum trans-gressionibus, thori nexum non violantibus, marito pœ-nitentia, & uxori venia debet esse locus; nec morosæ secessioni indulgendum. Potius conjugis defectus tan-quam propriæ carnis labes & inevitabile infortunium patientia superandum ac Divini juris regulæ stricte insi-stendum; ne humana autoritate separantur illi, quos Deus conjunxit.

## Th. VII.

*Divortii jus in casu per-missio ipso ju-ri competit, non acquiri-tur demum officio judicis,* Cum itaq; nefas sit, Vinculum ex Divina voluntate in-dissoluble dissolvere velle; sane sub prætextu Ecclesiastice jurisdictionis, ex Papali jure orientis, eo minus ex-cusari potest, quod vulgo statuunt, vinculum conjugale ex certa a Deo concessa causa e. gr. Adulterii judicis Ecclesiasti-

siaſtici autoritate diſſolvi poſſe; ita quidem, ut quamdiu  
 hæc humana autoritas uon interveſterit, diſtum vincu-  
 lum cum omni ſuo effectu duret. Et ſic ab humano Ec-  
 clesiastici judicij arbitrio demum depeſdeat, diuorium  
 decernere, contra expreſſam faſtioneſ, HOMO NON  
 SEPARET. Quæ tamen opinio ita communis errore in-  
 valuit, ut vix diſſentientem aut contradictorem inve-  
 niat, vid. Carpz. d. I. def. 211. Unde communis formula  
 ſententia, daß Klr. von ſeinem Weſbe zu ſchelden ſey/  
 wie er dann hiemit geſchelden wird ic. Rem ipsam tamē  
 fine praeconceptæ opinionis præjudicio penitus conſi-  
 deranti apparebit, quod licet merito cujuſvis privato ar-  
 bitrio concedendum non fit, conjugem criminis non  
 convictam repudiare & ex coniugio ejicere, potius fu-  
 ſpicacium maritorum & facile decernentium calor &  
 impetus refrenandus fit. I. 22. §. f. ff. ad L. iut. d. Adul-  
 terio inſuper cum legitima matrimonia, omnium fere gen-  
 tium, jure non aliter quam publice contrahantur, ut o-  
 mnibus innotescat hanc eſſe hujus viri uxorem, & nihil  
 magis naturale fit, quam unumquodque negotium modo diſſolvi quo colligatum eſt. I. 58. ff. d. pat̄. ac inde  
 facile concludendum fit, non niſi publica autoritate  
 matrimonia recte diſſolvi poſſe, omnia tamen hæc tan-  
 tum ad publicam declarationem, non ad ipsius vinculi  
 resolutionem (utpote quæ ex Christi effato non depen-  
 det ab hominis voluntate) pertinent, ut ita coniux ex-  
 pelli & repudiari non debeat, niſi probetur illam vincu-  
 li coniugij ſeſe indignam reddidiffe, & alteram partem ex  
 divina lege liberatam eſſe. Hoc autem ſatis probato  
 ab eo tempore quo divinam confeſſionem obtinuit pro  
 prorsus liberata cenſendam eſſe. Unde caſu conti-  
 gente quo Dux militum contra Uxorem in Adulterio

dēprehensam processum divorții instituerat, ut scil. liberatus ab illa declaretur, ante plane fini am causam & sententiam super divorcio latam, in expeditione militari aliam sibi associaverat conjugem, quā imprægnata, brevi postea occubuit; interim per Mandatarium causa contra pristinam uxorem continua, ante obitum quidem sed post imprægnationem super inductæ factam, absolutionem ab illa obtinuit. Partui vero ex prætenfa Vidua edito, status controversia movebatur, Agnatis prætentibus illum in bigamia seu adulterio conceputum & sic illegitimum esse, eo quod tempore contracti secundi matrimonii & factæ imprægnationis, maritus persententiam judicis a prima uxore nondum liberatus fuerit; quam licet communiori Dd. calculo nixam opinionem ex adducta ratione, factum judicis, divorțium non operari, merito refellendam existimamus; cui accedit, quod Christus disertis verbis Adultera Marito concedat propria autoritate aliam ducere. *Mattb. 5. v. 32. § c. 19. v. 9.* Unde in causa divorții, clarius ita esset concipienda sententia. *Dass flagender Ehemann wegen erwiesenen Ehebruchs ic. seines gewesenen Besbes ein Recht erlanget habe diesebe zu verlossen und eine andre zu heyrathen ic. eodem modo ubi scemina causa super impotentia viri ad judicium deducta interrim durante processu & frustra exspectata Medicorum curatione admirerat alium cui nubere intendebat, hæc pro adultera ad impedendum illud matrimonium non declaranda, nec officio judicis ab imaginato marito separanda, sed sententia ita concipienda est, dass wegen des Mannes genugsam erwiesener Untüchtigkeit zur Ehe / die zwischen demselben und der Klägerin vor-gangene Trauunge für Null und Nichtig zu achten/ und*

und ihr/dero anderwerts gethanes ehelches Verspre-  
chen durch Christliche Copulation zu vollziehen zu  
zulassen seyn. Et tali modo severa Prohibitio Christi,  
de non per homines separando conjugio. Matth. 19. v. 6.  
strictius observatur, cum facilius sit cœlum & terram  
perire, quam legis unum apicem intercidere. Luc. 16.  
vers. 17.

## Th. VIII.

Cum ergo divinum Matrimonii Vinculum sine *Divorciis sacerdotum*  
*sa.* legislatoris Dei expressa permissione tollendum non sit,  
aliam causam divorciū quam illam quæ Matth. 19. v. 9.  
concessa est, salva pietate agnoscere non possumus ; To-  
tus autem illius loci contextus ostendit, ibidem tantum *Nulla uxor*  
*compeit ad*  
*repudiandum*  
*maritum.*  
de dimittenda uxore, non quoque de repudiando viro a-  
gi; insuper matrimonii essentia in eo consistit, quo caro  
seu corpus fœminæ, viro in proprietatem data & hic do-  
minus uxorius factus sit, ex quo absurdum foret, dominum  
a subjecta ipsi persona repudiari, quare etiam fine omni  
exceptione uxoribus interdictum est a viro divertere,  
Marc. 10. v. 11. & Luc. 16. v. 18. I. ad Cor. 7. v. 10. II. ex  
quo appetet, sine violentia ipsi textui adhibenda, conces-  
sionem Salvatoris de uxoribus dimittendis viris factam,  
ad uxores ut viros dimittere possint, non perrinere. Ne-  
que in contrarium movere poterit quod I. ad Cor. 7. v. 4.  
æquale jus uxoribus in corpus viri comptere dicatur,  
quod viro in corpus uxorius, hoc enim juxta contextum  
eo tantum pertinet, quod vir uxori suæ non possit, dene-  
gare potestatem corporis ad illam fecundandam, sicuti  
nec uxor ad concubitum mariti; quo jure Raheli non  
inputabatur a Jacobo suo procreationem liberorum exi-  
gere, sed de eo increpabatur à pio marito, quod fructum  
ventris sui potius a Deo exorare deberet: Gen. c. 30. v. 1.

& 2. ex eo autem conjugali debito, concludere ad dimissionem mariti, nimis contortum est; de cetero, cum in dicto textu non alia divorcii causa quam vinculum thorii evertens Adulterium admittatur, hoc vero proprio non committatur nisi cum nupta alterius, vid. B. Dn. Brunnen. ad l. 1. ff. d. Adulteri. n. 1. quæ tali actu omnem finem conjugii evertit, & carnem ad prolificandum mariti propriam, alii concedit, quod secus est si forte maritus cum alia foemina concubuit, utpote quo finis conjugii cum uxore non impeditur, ita ut etiam plures uxores unius mariti, salva essentia matrimonii olim existere potuerint; unam vero foeminam plurium matitorum simul uxorem esse, ipsi naturæ repugnet; fornicatio mariti, uxori simile jus, quod marito contra fornicantem uxorem competit, tribuere non potest; Et licet forte iudicio criminali in luxuriosos & prohibitos amplexus quarentes maritos, æque ac in mulieres adulteras, ad Sacra conjugii custodienda, publicis quorundam locorum legibus animadvertisendum sit, ex eo tamen, ad æquale jus pro matrimonio vinculo dissolvendo minus recte concluditur; luant potius qui libidini indulgent utriusque sexus, commeritas poenas, simul tamen naturalia & Divina jura custodiantur. De cetero hanc opinionem adhuc magis confirmat, quod licet Christus in d. l. talem maritum qui dimissa uxore aliam ducit, pro Adultero declareret, eo quod dimittendo pristinam uxorem & in hujus locum ducento aliam, omnem fidem conjugalem cum illa frangat, tamen in eodem textu uxori ab Adultero marito ita dimissæ, jus alii nubendi denegetur, dum expresse additur quod si quis ita dimissam duxerit Adulterium committat. Quamdiu ergo maritus vivit uxor etiam derelicta alligata manet ad vin-

vinculum mariti 1. Cor. 7. 39. junct. v. 10. & II. ibid.  
 Romani quoque Legislatores fanciverunt, ut quamdiu  
 certum est maritum vivere, uxoribus non liceat ad alia  
 vota migrare per verba in *Autb Hodie C.d divorc. l. 6. ff. eod.*  
 poterit tamē talis derelicta judicio criminali desertorem  
 accusare, ut capitali pena ab eo liberetur juxta *Conf.*  
*Crimin. art. 121.* Quando vero de vita desertoris plane non  
 constat, non aliter quā exspectato prius quinquennio, &  
 inde prae sumta morte mariri, uxori ad alia vota migrare  
 licet. d. l. 6. imo etiam si uxor effluxo quadriennio, de mor-  
 te mariti certior facta sit, adhuc per annum exspectare, &  
 maritum lugere debet, vid. l. 7. cum *Autb. sequenti C. d. re-*  
*pud. it. Nov. 117. c. n.* quæ omnia cum juri Divino conve-  
 niant, apprime in judiciis observanda, nec uxoribus tana  
 facile processus divorcii concedendis sunt, si tamen legit-  
 imo modo tandem a primo marito propter hujus maliti-  
 osam absentiam liberata sit, non cogenda est ut ad il-  
 lum qui publica autoritate quasi pro mortuo habitus est,  
 revertatur, sed recenti marito cui non furtim nupsit ad-  
 hærere debet: ex ratione in dict. l. 7. illa tamen obligatio  
 uxoris ad maritum malitiose latitantem ad quinquen-  
 nium expectandum, & processum desertionis instituen-  
 dum, ad Sponsam extendi non debet, sed si præsentem  
 sponsum perbiennium, aut absenteim per triennium ex-  
 spectaverit, sponsæ alia despensatio non deneganda vid.  
 l. 2. ff. d. *spons. l. 2. C. d. repud. ibique Gotbofr. in not.*

## Th. IX.

Dum itaque salvator de non dimittenda vel expel-  
 lenda uxore viros admonuit, non simul inclusit casum  
 quo refractaria uxor maritum sponte deserit; hoc enim  
 C sicut con-

*de desertante  
uxore.*

si contingat, nec mulier contra prætensoſ intolerabiles  
 mores Mariti auxiliū Magistratus imploraverit, qui  
 juxta retro adducta utramque partem ad satisfaciendum  
 officio suo adigit; pro cuius evitacione uxor aufugit, illa  
 quidem tanquam adultera ab alio coniugio arceri debet,  
 maritus vero cogi non potest ad fugitivam uxorem re-  
 cipiendam, niſi illa, intemerata pudicitia interim serva-  
 tæ, testimonia producere poſſit; Hoc enim caſu mari-  
 tus, probatione Adulterii ab uxore commiſſi, non eſt  
 gravandus, potius hæc, ex deserta ſua ſtatione & ſuſpe-  
 cta ſeceſſione, priſtini viri thoro ſeſe indignam reddidit,  
 niſi probabilem ſeceſſionis cauſam allegare & honestum  
 conſortium probare poſit. vid. l. 8. §. 4. C. de repud. ibique  
 Dd, tunc enim vir ad illam recipiendam & ad veniam de  
 furto ſui ipſius commiſſo concedendam, enixe admo-  
 nendus & ecclesiastica cenzura cogendus eſt; Si vero u-  
 xor alicujus, propter furtum aliudve crimen, fuſtigatio-  
 nem & relegationem meruerit, & ſic in ſervilem ſtatum  
 redacta ex provincia ejecta fit, vid. Disp. Præf. de Abuſu  
*Fuſtigat.* tb. 4. & ſeqq. Maritum ad aliud matrimonium  
 adſpirare poſſe existimamus, cum non teneatur carni in-  
 famatæ iterum adhærere eamque ſequi, ſed potius illam  
 tanquam putridum membrum abjicere convenientius  
 videatur; neque etiam, extra provinciam & inter igno-  
 tos circum vaganti, maritust hori fidem habere poterit;  
 ſed in uno malam & ab honesto conſortio remotam, car-  
 niſ incitamenta facile amplexam eſſe, præſumitur, & ex  
 violenta fornicationis ſuſpicio, diuortii ſententia recte  
 decernitur. c. 12. X. de prafumt. ut ita proceſſuſ deſertioſis,  
 quo trina vice citerur ad revertendum & conjuſi coha-  
 bitandum, contra uxorem, vel ſponte, vel neceſſario e-  
 xulan-

xulanten, marito non sit obtrudendus, sed posteriori casu, ad nova nuptialia vota anhaelanti, matrimonium cum alia magis pia conjugi non denegandum, priori vero casu, fugitiva uxori citari debet ad causam sui discessus & conservatam pudicitiam probandam : ubi potissimum causis de jure Romano fœminis ad divertendum concessis uti poterit. ex l. 8. §. 2. C. de repud.

## Th. XI.

Sivero in casu inverso contigerit, maritum fustigatum & relegatum esse, innocens quidem uxori non liberatur ab eius conjugii vinculo, sed ex regulis matrimonii naturaliter obligata est, virum tanquam dominum suum sequi, l. 1. C. de repud. vid. Seld. d. ux. Ebr. lib. 3. c. 22. § 26. § de f. N. § G. lib. 5. c. 7. quia tamen hic mortem civilem passus jus standi in judicio non habet, nec magistratus uxoris, illam ad actus conjugales extra provinciam expediendos cogere, neque etiam immeritam ex provincia expellere potest ; Ideo sine assistentia juris externi, illa obligatio uxoris, in meritis terminis naturalibus, quoad officia marito praestanda, relinquenda, nec haec ullo modo cogenda, sed in eo propriæ conscientiæ committenda, ex pontificis tamen decreto, nisi fidei sue religionem contemnere velit, separatio eidem non permittitur, C. 2. de Divort. quod eo usque admittendum, quatenus constat maritum ad meliores mores rediisse, & fixum domicilium quo uxori honeste prospicere possit constituisse, interim tamen ab alio matrimonio æque ac quocunque alio concubitu sub poena Adulterii abstinere debet ; quicquid in simili casu illustri alicui collegio juridico in contrarium placuerit. Ubi tamen ex retro di-

C 2

ctis

Etis limitatio addenda, quod si post quinque annorum relegati mariti absentiam de ejus vita non constet quod iuramento uxoris committendum, publica autoritate, hæc ad alia migrare possit vota.

## Th. XII.

Restat ergo ut de sponte a Viro dimittenda uxore juxta concessionem Christi agamus, quam commissio ab uxore Adulterio recte fieri, in confessio est, cui Canonistæ exceptionem addunt, nisi maritus quoque adulterii reus sit. *c. 6. X. d. ad ult. &c. 4. d. divorc.* quam tamen exceptionem eo minus fundatam esse, quo supra demonstratum, fornicationem mariti, uxori nullum jus tribuere, certum est. licet de stupro, Maritum accusare eidem permissum sit. *Const. crimin. art. 120.* Illud porro non æque manifestum est, an & propter alia crimina, divorcium locum inveniat. ubi nonnulli in Etymologica evolutione ποζνεῖς magnum præsidium querunt; quod tamen argumentum scipiis obscurum, dubium imo fallax esse, alibi demonstrandum. Alii admittunt quidem præter causam stupri, etiam causam sodomiæ alteriusve delicti carnis vid. Kitzel, *dict. tract. theor. n. 1.* cum alleg. verum, cum leges scire non sit verba tenere, sed illorum vim ac potestatem *l. 17. ff. d. leg.* formalis ratio autem dimittendæ uxoris propter adulterium in eo consistat, quod illa quæ contra officii limites conjugale fœdus ipsa fregit, matrimonii honore privari, & a viro expelli possit, facile apparebit, quod non tantum per adulterium, vel probatum, vel ex malitiosa desertione legitime præsumtur, sed etiam per insidias vitæ mariti structas, quatenus in actum deductæ probari possint, item

tem, si uxor papalem religionem amplexa monasterium intraverit ac ita omnem carnalem copulam jumento abdicaverit, simileve delictum quod ipsum vinculum conjugale evertit, marito jus divortii seu dimitendi Uxorem competit; Et dum de aliis gravioribus criminibus casus vix aut tantum rarissime dabilis de quo leges non scribuntur occurrat, quo non talis crimini convicta mulier vel capite puniatur, vel ex provincia ejiciatur, de quo supra egimus, opera pretium non erit huic quæstioni prolixè in hærere, si vero ex alio leviore, licet etiam infami crimine, alicujus honesti viri Uxor, ad carceris alias pœnam condemnata sit, ita ut exulare non cogatur, marito indulgendum, ut juxta leges Romanas, retenta dote & propter nuptias donatione, a consortio talis uxor tamdiu abstineat, donec emendatis ejus moribus, abolitionem illius criminis obtinere possit. vid. Brouer. *d. Jur. Connub. cap. 20. num. 20.* cum alleg.

## Theſ. XIII.

Si vero alicujus uxor in captivitate bellica detineatur, per illam naturale conjugii vinculum non tollitur, nec hæc calamitas uxori innocentii imputanda, sed brevi reversa etiam quoad thorum jure postliminii gaudeat, tamen quoad civiles effectus in tantum matrimonium pro dissoluto habetur, ut in illam interim adulterium committi negetur, nec ipsa ex eo adulterii accusari possit, *juxta l. 23. & l. 29. C. ad L. jul. de Adult. junct. l. 1. ff. de div.* & hanc constitutionem ex *d. l. 29. C. d. Adult.* omni iniuritate carere, multo magis iustitiæ & aquitati convenire defendemus; si vero diu in captivitate perseveraverit;

rit; ob magnam præsumptionem non conservatæ corporis puritate, marito potestas divortii concedenda. vid.  
Br. d. Jur. Conn. c. 30.

## Th. XIV.

Quod si vero contigerit Uxorem ad congressus conjugales casu quodam inhabilem redditam esse, aut viro exinde periculum imminere, mariti vero & aliorum interdit propagationem familiæ obtinere, licet & tali casu finis conjugii impediri videatur, tamen quia hæc afflictio mulieris magis commiseratione quam privatione honoris conjugii digna est, & calamitas hæc uxori imputari aut causæ fornicationis pro dimittenda uxore comparari non possit, merito Alexander III. iniquum & sub ex communicatione prohibendum duxit ita afflictam repudiare. C. 1. & 2. X. de Conjug. Lepr. attamen cum omnis polygamia, in se essentia conjugii non sit contraria, & ad conservandum amorem Christianum temperata, certis conditionibus admitti possit, non dubitavit illustre aliquod Collegium JCTorum olim in prædictis duobus casibus respondere, ut relicto priori uxori matrimonii honore, cum consensu ejus ab illa constanter abstineat, & ex impetranda a Principe permissione aliam simul uxorem ducat, & huic se carnaliter jungat, primæ vero conjugali adfectione ministret; illamque ut uxorem honoret & protegat vid. I. 32. § 13. ff. d. donat. int. vir. & uxor. Si vero ante consummationem matrimonii aliquid inter desponsatos innotescat quod cohabitationem tædiosam reddere possit, veluti si sponsa urinam continere & siccum lectum relinquere nequeat; ad accipiendam tales personam alter cogi non debet. c. 3. d. Conj. Lepr.

Th.


Utrum vero legitime facto divortio dimissæ ita uxor alia nuptiæ permittendæ sint, controversia non carer, vinculo enim Matrimonii soluto exustulans mulier, a remedio contra uestiones concessa. 1. & Cor. 7. v. 9. non repellenda videtur, cum melius sit, libidinoso suo temperamento in conjugio obvenire, quam sine eo carnis in citamentis indulgere, quam opinionem quoque defendit B Lutserus in lib. d. vit. conjug. tom. 3. Jen. Germ. fol. 166. allegatus a Carpz. jurispr. Consist. lib. 2. Def. 191. n. 4. contra Canonistæ nec mortuo marito, adulteræ aliud matrimonium concedunt, vid. C. 12. X. d. præfunt. & alleg. a Carpz. d.l. non tantum, ne malitia ejus, præmium exoptatum alterius conjugii operetur, sed etiam ne semel fecidifraga inventa, in periculum ejusdem peccati exponatur. Quia tamen inclusio Adulteræ in Monasterium, ne ansam libidinis explendæ habeat Canonicum Authoritate introducta, in terris Evangelicorum locum non invenit, magis conveniret Adulteras ergastulo includere, donec pravos affectus refrænare didicerint, quam illas in alias provincias relegare, qua relegatione postea pro pecunia multæ remilia, dubium hoc emergit. Et sane si cum Adultero cuius matrimonium ipsi non conceditur. tot. tit. X. de eo quid duxit quam poll. in Adult. in uno maneat loco, vel lascivientibus paratam fuisse constet, gravis imo violenta est præsumtio, quod idem delictum, majori tamen præcacione sit continuatura, cuius reatus ne Magistratus se participem reddat, huic Adulteræ tanquam infami & a consortio fidelium remotæ, honorem matrimonii merito

rito denegat donec res ipsentiae ac veræ pœnitentiae signis editis in gremiū Ecclesiae recepta sit. Et licet Dn. Præl. in Disp. de Error. circa matrim. aliter senserit, tamen se in hanc opinionem tanquam veriorem transisse lubens fatetur. Varia adhuc superessent, de frequentata proh dolor divertiorum materia, differenda, & nonnulli causus dubii enucleandi, nisi necessarium iter me cito revo-  
caret, & licet hæc currenti calamo conscripta, forte non sint ad palatum delicati lectoris, ab ejus tamen æquani-  
mitate confido, illum conatum meum veritatem inve-  
stigandi, magis quam defectus commissos respectu-  
rum, dum certus esse possit, me amicam censuram  
facile admissurum; interim.


S. D. G.



e si-  
ræl.  
n se  
ens  
oh  
ca-  
ro-  
on  
ni-  
ve-  
u-







Halle, Diss; 17n A-L I

f

5b.





# Farbkarte #13



B.I.G.

AUGURALIS JURIDICA,

DE

# TERRO. CIRCA ORTIA

Quam,  
GNIFICENTISSIMO,  
RINCIPE AC DOMINO,  
PO WILHELMO,  
MARCHIONE BRANDENBUR-  
AGDEB. GUBERNATORE,  
ELIQUA,  
VSU INCLYTÆ FACULT. JURIDICÆ  
Æ SIDE  
CO BODINO, JCTO  
USS. CONSIL. IN DUCATU  
PROFESS. JURIS ORDIN. CELEB.  
JURID. h. t. DECANO  
SUO COLENDO

LICENTIA,

NORES & Privilegia consequendi,  
DCC XI, boris ante & pomeridianis

TORIO MAJORI  
rum disquisitioni submitteret

GEORGIUS Brem /

Stenb. Misn.

CHR. HENCKELII, Acad. Typ.

KONRAD  
UNIVERS.  
ZVHALIE